DE

# MEDICINAE MILITARIS INCREMENTIS

PRAESERTIM EX

# REMEDIIS QUIBUSDAM NOVIS TEMPORE RECENTIORE CAPTIS.

---

## DISSERTATIO
## INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

**ADOLPHUS NIEMANN**

HALBERSTADIENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. GRIMM, MED. ET CHIR. DR.

V. WESCHE, MED. ET CHIR. DR.

F. KÜPPER, MED. ET CHIR. DD.

---

BEROLINI, TYPIS JORDANIANIS.

PATRI

DILECTISSIMO

# J. F. NIEMANN,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, A CONSILIIS COLLEGII MERSEBURGENSIS MEDICIS, EQUITI, ETC.

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SUMMA PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

# Prooemium.

Cogitanti mihi, quantum et quam celeriter ars salutaris profecerit hoc nostro tempore, difficile visum est aleaeque plenum opus, quum ad scribendum specimen inaugurale lege maiorum sapientissima essem coactus, ut novum quiddam et inauditum proferrem. Ac memoria quidem doctrinae medicae universae amplitudinem repetenti, profecto in multis desideranda quaedam veniebant, haec autem ipsa ob iuventutem et difficiliora nimis reiiciebantur, et ob temporis angustiam tractanda vix videbantur.

Tamen cum nuperrime tanta emolumenta medicinam et chirurgiam cepisse intelligerem, ad hanc ipsam, utraque delectatus maxime et gavisus, omnem animum adverti saepiusque circumspexi, an his in doctrinis aliquid relictum sit tractatu dignum. Sed nova invenire quia sit difficillimum, inventa vero investigare sit laude dignum, cum novum quidem denegatum mihi esse viderem, si inventa susciperem ad usumque publicum tracta-

rem, utile quid fecisse operae quidem summum visum pretium est.

Nostro autem tempore, quoniam summam artis medicae in civitate et ipsa nostra utilitatem exstitesse viderem, multum de applicanda arte medica in civilem publicumque usum cogitavi. Iam vero medicina forensi tractata saepius excultaque et mirum quantum perfecta, quaenam in medicina in usum haud minus gravem exorta, nempe in illa, ut ita dicam militari, sint facta, perscrutatus saepius sum.

Nimirum talem in nostra civitate, tantam dignitatem et auctoritatem attigisse memor, tantamque ex maiore medicinae militaris perfectione in usum publicum effluere certissime persuasus salutem, hanc praecipue elegi consiliumque inii, de ipso nuper facto illius incremento proferendi quaedam remediaque, praesertim nonnulla novissime commendata proponendi satis idonea et ad medicinam castrensem maxime utilia.

Ne tamen scripti huius nimios transgrediar limites, praecipua tantum, quibus perfectior reddita res militaris medica est, attingere placuit, uberius autem remediorum ipsorum nuper commendatorum tractare copiam.

# Caput I.

## De medicinae militaris incrementis recentiore tempore captis.

Ac fuit quidem tempus, quo neglecta omnino et rudis medicina militaris iacuit, nec veterum quispiam invenitur, qui praecepta quaedam et generalia et propria de hac doctrina proposuerit. Fuere quidem vetustissimis temporibus medici, qui in proeliis committendis vulneribus curandis operam dederint; nam in ipso illo Graecorum carmine antiquissimo medici enumerantur tali ratione in certaminibus eminentes, nec desunt exempla temporibus sequentibus, quibus praecepta rei militaris medicae nonnulla relata sunt, quorum Xenophontis anabaseos loca quaedam afferre licet, qua quidem expeditione militari exposita quaedam legimus, quibus remediis atrocissima nive imbribusque vehementissimis vexatos milites dux sagacissimus servaverit; Fuere quoque de historia scriptores meritissimi multi, qui de morbis in bellis grassantibus tradiderint quaedam posteritati, ut Thucydidis et Caesaris Curtiique exempla relicta nobis haud pauca sunt, haec autem omnia rem militarem magis ipsam spectant quam medicam. Tamen Vege-

tius in libro de re militari primus evasit, generalia quaedam praecepta proponens, quippe multa de optimo armorum delectu, multa de militum vestimentis, multa de castrorum eligendorum optima ratione, de salubritate locorum tradita nobis reliquit. Neque vero negandum temporibus demum recentioribus exortam et excultam magis atque perfectam esse hanc doctrinam. Ac hoc quidem ab tempore exordium artis huius primum repetendum esse videtur, quo omnis bellorum gerendorum immutata ratio est, et quo coeperunt in bellis gerendis aliis et diversis uti armis. Igitur pyrobolis inventis, quum vulnerum tractatio difficilior sit reddita, ars quoque medica in bellis magis necessaria exstitit. Vere enim videor dicturus, vulnerum curandorum meliore methodo rectioreque declarata, medicinam quoque militarem summos cepisse progressus. Fuit autem Parëi 1) principis illius chirurgiaeque recentioris fundatoris meritum, ut meliorem quandam vulnerum tractandorum iniret rationem, quam alii secuti salutarem usum fructumque militibus tulere.

Etenim Schmuckeri viri immortalis fuere scripta, methodo rationali vulnerum curationem perfectiorem exponentia, eiusque quantum fuerit in sanandis capitis praesertim vulnerationibus meritum, ex his ipsis optime fit perspicuum 2). Ac quo quidem abinde tempore ars militariis quaedam medica lata in medium

---

1) Paré manier traiter les plaies faites par arquebuses fleches etc. Paris 1551. 8.

2) Schmucker chirurgische Wahrnehmungen. 1774. 2 Bde.

est. Nec haud ultimo loco vocandi, qui in Anglia et Belgia praecepta quaedam rei militaris proposuerint publicique iuris fecerint 1), diligentia autem maiore haec doctrina exculta in Germania est. Ego vero si velim et aliarum civitatum exemplis uti, Francogallorum certe de re militari primo proferenda in lucem merita sunt 2).

Sed ut reliqua praetermittam, omnium mihi videtur meritissimorum primus numerandus clarissimus ille Gallorum medicus Larrey 3), qui rei militari medicae saluti praesertim exstitit insignis. Atque is non solum

---

1) Don Monro über die Krankheiten der Soldaten übers. v. Wichmann. Altenburg 1771. 2 Bde.
Van Swieten Beschreibung und Heilung der Krankheiten, welche am öftersten in dem Feldlager beobachtet werden. Wien 1758. 8.
Joh. Pringler Beobacht. über die Krankheiten der Armee übers. v. J. G. Brande 1772. Ueber die Krankheiten der Armee v. Baldinger 2te Aufl. 1774. 8.
A. Fr. Hecker. Practisches Handb. der Kriegsarzneikunde. Gotha 1816. 8.
Jsfordink militärische Gesundheitspflege 2te Aufl. 1827. 2 Bände.
Eichheimer Darstellung des Medicinal-Militairwesens. München 1824. 2 Bde.
J. G. v. Millingen The army medical officer's manual upon active service; or, precepts for his guidance in the various situations in which he may be placed; etc. Lond. 1819. 8.

2) Colombier preceptes sur la santé des gens de guerre Paris 1775. 8. — medicine militaire 4. vol. Paris 1778.

3) Memoires sur les amputations des membres — de Chirurgie militaire.

aliis institutis et innumeris, sed termino praesertim amputationis constituendo, quo fieri debeat, rei publicae militari summos praestitit eventus summamque salutem. Quantae et quales ex amputatione tempore infausto peracta factae militibus clades sint, omnium primus ostendit. Fuit et ipse, qui quando indicata amputatio sit, arte usuque constituit. Nam vanam et inanem eorum sententiam esse exposuit, qui nunquam post vulnerationem ipsam alioquin perniciosissimam vitae voluerint artus amputari. Ac haud iniuria febri iam universali vulnerationi accedente perficiendam esse amputationem nunquam proposuisse videtur, prius igitur esse perficiendam operationem, quam universalis quaedam systematum omnium evaserit affectio atque irritatio, aut si talis iam exortus status sit expectandum esse febris et inflammationis finem, aliquid tunc dandum esse viribus naturae opinatus.

Ac fuere tunc recentionis aetatis viri in hocce termino sapientius rectiusque definiendo tota mente animoque occupati 1), ut hancce absolutam in posterum et ad finem perductam iri sperandum sit.

At vero doctrinam alii hanc excoluere accuratiore quadam cura et diligentia morborum ipsorum milites invadentium habita. Equidem ne nimium quid contendisse videar, quid de exponenda tetani solius curatione dicam et theoria? recentiores fuere, qui trau-

---

1) Graefe, Normen zur Ablösung grösserer Gliedmassen Berlin, 1814.
Benedict einige Worte über die Amputation in Kriegsspitälern. Cerlin, 1814.

maticum illum tetanum et acutum et spasticum diviserint, curationem perfecerint 1); quid? de labore summo et industria, qua gangraenam nosocomialem descripsit humanissimus ille et meritissimus medicorum Delpech 2); quid? de typho bellico, cuius descriptiones adhuc restant celeberrimae, ad postera tempora exempla insignia nepotibus 3); quid? de ophthalmia bellica, cuius veram diagnosin, naturam et curationem clarissimis per totam Europam libris exhibitam traditamque legimus 4); quid? de methodo amputationis commendanda atque perficienda, qua Brünninghausen

---

1) Grötzner der Krampf, insbesondere der Wundstarrkrampf. Breslau, 1828.

2) Brugmanns und Delpech, über d. Hospitalbrand, aus dem holländ. u. französ. übersetzt mit Anmerkungen und einem Anhange begleitet v. D. G. Kieser. Jena 1816. 8.

3) J. V. Edler v. Hildenbrand über die ansteckenden Typhus 2te Aufl. Wien 1815. 8.
E. Horn Erfahrungen über die Heilung des ansteckenden Nerven und Lazarethfiebers. 2te Aufl. Berlin, 1814. 8.

4) An attempte to investigate the cause of aegyptiam ophthalmie whith observations on the different modes of cure by G. Power 1803.
Account of the ophthalmia bellica whith some observations of the aegyptian ophthalmie by Edmonston 1803.
Rust die aegyptische Augenentzündung unter der preuss. Besatzung in Mainz Berlin, 1820.
Graefe die epidemische contagiöse Augenblennorrhoe Aegyptens in dem europäischen Befreiungskriege im J. 1813 — 1815. Berlin, 1823 fol. m. K.

et Guthrie chirurgiam ornarunt propagaruntque, 1) quid? de institutis ad milites melius tractandos, curandos, vestiendos; quid tandem de ipsis nosocomiis bellicis instituendis verba faciam? 2) haec omnia nostris temporibus aut inventa magis, aut exculta et perfecta esse, vix infitiendum est. At prophylaxin quandam morborum melioribus militum vestimentis et nutrimentis et domiciliis et exercitationibus esse adhibendam, nostra quidem civitas exemplum insigne et unicum fere evasit, ut, si perfectionem artem militarem medicam Fridericum illum magnum, Borussiae regem reddidisse omnes consentiant, nostris temporibus multo praestantionem exstitisse nemo dubitet unquam. Ac fuit quidem nostra tempore novissimo civitas, in qua Francogallorum exempli instar loca pro vulneribus tractandis post proelia commissa in ipsoque adhuc certamine sunt constituta, fuit haec et ipsa civitas, quae nosocomia migrantia instituit, quorum usum bella novissima pro

---

1) Erfahrungen u. Bemerkungen über die Amputation v. Brünninghausen. Würzburg 1818.
Guthrie observations on gun-shot wounds, on inflammation ect. requiring the greater operations of amputation at the Hip. joint. etc. Third. Edit. Uebersetzt v. Spangenberg. Berlin, 1821.

2) Brocklesby über Kriegslazarethe v. Selle übers. Berlin, 1772. 8.
G. Ph. Michaelis über zweckm. Einrichtung der Feldhospitäler. 1801.
Wedekind über sein Heilungsverfahren im Kriegslazarethe zu Mainz. Berlin 1802.

libertate nostra suscepta felicissima demonstrarunt salutarem.

Haec quamvis laude digna sint maxima, sunt tamen medici, qui in ipso certamine vulneratos milites nunquam voluerint tractare, sed in proxima nosocomia bellica mittere, ubi fasciae demum imponerentur quaeque praeterea facienda peragerentur, in proelio ipso celerius hoc fieri peiusque debere rati, quo summum ob magnum ad sanationem felicem curationis primae momentum et efficaciam damnum magis afferretur, quam usus; sed docuit experientia, vulneratos melius omnino se habere iam fasciis impositis ad nosocomium translatos; quo fit, ut vulnerati ex locis in certaminibus constitutis in nosocomia migrantia translati 1) sine ulla difficultate in nosocomia bellica mitti poterint. Huius quidem rei exinde quoque apparet utilitas, quod notissimum sit, quam saepe accidere soleat, ut in ipso proelio, si vitam servare militum velimus, operationes quaedam sint perficiendae, ut amputandi sint artus, ut corpora extrinsecus illata extrahenda sint atque removenda.

---

1) Summa laudanda est virorum celeberrimorum cura et diligentia, qua militum in certaminibus transportationem statuerint, levaverintque. v. Görke kurze Beschreibung der bei der Königl. Preuss. Armee statt findenden Kranken-Transportmittel. Berlin, 1814.
Ueber Transportmittel der verwundeten Krieger v. Wendt Koppenhagen 1816. v. Graefe Journal Bd. VI. S. 179.
Eichheimer l. c. Bd. II. Tab. 3. u. 4.

Iam vero si negari vix potest, institutionem ad medicos colendos militares accomodatiorem haud minorem praestitisse medicinae militari usum, si quis ad regis nostri sapientissimi scholas fundatas se converterit, quibus medici militares in rei publicae salutem edocentur, nostrae ipsi civitati hoc meritum tribuendum esse concedet, ut omnium prima exemplo gravissimo anteierit, quod tandem aliae quoque civitates haud minore successu secutae sunt, ut fere nulla nunc evaserit civitas, in qua instituta talia non summopere floreant vigeantque. Floret in Borussia academia Friederici Guilelmi, Regis nostri augustissimi militaris, floret in Austria, imperatoris nomine vocata Josephiana, florent in Bavaria et Gallia hospitia medicis militaribus instruendis sacrata (Hospitaux d'instruction).

Verum haud praetermittenda remediorum ipsorum in re militari usitandorum sunt praecepta et hunc in usum scripta propria, quum haec praesertim maximi in medicina militari aestimanda sint momenti.

Ac ut omittam, quae instrumenta ad remedia suscipienda sint detecta, quinam commendati et quales sint apparatus isti, 1) de ipsa nunc remediorum omnium praeparandorum doctrina et praeceptis dicturus sum; quae in pharmacopoea propria viri doctissimi

---

1) Andr. Gottfr. Rosenmeyer Taschenbuch für Militairchirurgen zur Einrichtung e. pharmac. u. chirurg. Feldapparats. Potsdam 1805. 8.
Eichheimer l. c. p. 267.

proposuere, quam suo vocarunt nomine castrensem 2).

Talis autem pharmacopoea cum tantae gravitatis dignitatisque sit res, cum sit praesertim respiciendum, quaenam et qualia remedia sint recipienda, cum videndum magnopere, ut efficacia eorum sit summa, ne maioris pretii veniant, de remediorum quorundam nuper inventorum laudatorumque scripturus usu haud indinam suscepisse rem videor.

---

# CAPUT II.

## De remediorum quorundam nuperrime commendatorum in medicina militari usu.

Omnium sententia cum sit fere unanima, ut remediorum recentissimorum nonnulla saluberrimos rei medicae fructus sperare sinant, ad horum enumerationem propius accedo. Sunt autem praesertim vocanda

---

2) J. A. v. Wolter Pharmacopoea militaris übers. v. Schaur. 1759.
Pharmacopoea austriaco-castrensis. Wien 1795.
Preussisches Feld-Lazareth. Reglement. Berlin, 1788.
J. A. Riemer pharmac. castrensis borussica. Ed. quart. 1794.
Görke und Hermbstädt. pharmac. — — Ed. quart. 1815.

ex tanta nuper inventorum laudatorumque remediorum copia Chinium sulphuricum et Calcaria chlorata atque natrum oxymuriaticum, accedunt ad haec acidum pyrolignosum et curationes illae institutae insignes per unguentum hydrargyri famemque, inspersio tandem aquae frigidae et usus aquae amygdalarum amararum, appendicis vero loco ferendum hydrargyrum muriaticum corrosivum, de quo infra plura proferenda sunt. Iam ad singula quaeque remedia pertractanda aggredior, in qua quidem explicatione elegi praecipue ea, quae in medicina militari utilia existere possint.

## §. 1. Chinii sulphurici in medicina militari usus.

Exordium remediorum nuper commendatorum facturo, primum non a novo quidem sed tamen forma et usu meliore efficacioreque incipiendum est. Chinam in medicina castrensi ob vim suam roborantem et tonicam et adstringentem ac ob vim febrifugam specificam quasi, in usu semper fuisse videmus, ab hoc inde tempore, quo tantum primo remedium nobis est traditum; nec omnibus illis, quibus hanc removere studuere ob pretium nimium medici, superari unquam observationes omnes consentiunt. Corticem flavum et fuscum remediis necessariis nec vix in pharmacopoea castrensi omittendis adnumerandum medici militares haud iniuria proposuere. Ac Chinam qui-

dem non solum commendarunt praeparatis propriis, sed etiam compositiones quasdam praescripsere *).

Internus atque externus chinae usus quantus sit fueritque in medicina militari praeterlapsis temporibus bellisque nuper commissis, in omnium adhuc memoria viget. Chinium igitur quum sit praecipua illa Chinae pars, qua sit febrifuga corticis praesertim vis contenta summa, praeparatorum autem omnium palmam praeripiat reliquis Chinium sulphuricum, hoc quidem commendandum et recipiendum in pharmacopoeam castrensem iure meritoque propositurus videor.

Etenim si observationibus nuper factis constat, febres intermittentes etiam perniciosissimas per Chininum esse debellatas felicissime celeriusque quam cortice ipso, si inflammationes exiguas et signa quaedam gastrica non adeo ut in China ipsa vetare patet, hoc remedium summum certe exortum rei militari medicae esse, vix erit, qui negaverit ullus.

Nam febrem perniciosam subcontinuam, ubi vix locus propter ventriculi languorem Chinae ipsi nec tanta vis corticis exspectandus sit, ut paroxysmus supprimi possit proximus, victam celerrime esse, Chiniumque optime tulisse homines legimus.

Fuere quoque medicorum militarium multi, qui magnam et miram Chinii praesertim sulphurici effica-

*) v. Praeparata in pharmac. castrensi enumerata diversa.
Pulv. Chinae fusc. et flav. p. 12. ph. castr.
Decoct. Chinae. p. 12.
Extr. Chinae aquosum p. 13.
Pulv. Chinae compositus p. 23.

ciam laudibus sustulerint maximis, ita ut duodecim tempore vacuo datis granis curationem febris perniciosissimae cuiusque perfecisse se, experientia sint docti, ut quartana adeo febris diuturna brevi sanata spatio sit.

Praeterea cum extra omne dubium sit positum, in febri illa paludosa et perniciosa ista, cum cerebri affectionibus periculosis coniuncta, ut insultu iam proximo fortiori invadente ad mortem exitiumque praecipitarint aegroti, qualem in Belgia observatam nuperrime haud raro comperti sumus 2), Chinium fere semper paroxysmum aut mitigasse aut profligasse, quum sit verissime praedicandum, Chinae ipsius deploratum saepius pretium nimium per hoc ipsum remedium minui, cum aliis remediis post paucas Chinii doses et vilioribus locus optimus et certissimus sit, medicina militaris ex hoc remedio profecto summa cepit incrementa. Neque tamen is ego sum, qui Chinam per Chinium extrudendam omnino in medicina militari contenderim, sed remanet certe vis corticis in multis morbis et natura.

Usum quoque Chinii sulphurici externum in febre intermittente per methodum cutaneam Francogallorum

---

1) v. Graefe und Walther Journal Bd. 5. H. 4. S. 675.

2) Das Schwefels. Chinin als Heilmittel betrachtet, Preisschrift von der Holländ- Cesellschaft der Wissenschaften zu Harlem gekrönt v. Wittmann. Mainz 1827.
Thuessink's Beschreibung der epidemischen Krankheit zu Gröningen im Jahre 1826 übers. mit Anmerkungen v. J. W. Gittermann. Bremen, 1827.

instar applicati 1), salutarem praestitisse Berolini, nonnulla in nosocomio Charitatis hocce anno facta satis demonstrant pericula. Tamen in medicina militari huic methodo non nimiam tribuerim laudem; quum in febribus perniciosis celerrima efficacia remedii esse debeat, quae certe existere nequit per applicationem externam, in febribus benignis autem pluribus certe dosibus opus sit, quam si interno remedio utimur, aliquam salutem autem exspectandam ex hoc remedio esse libenter concesserim, si in febre intermittente assumpta remedia interna nullo unquam modo retineri possint, aut si ob naturale quoddam taedium Chinae Chiniique usus internus locum habere nequeat.

Quodsi in aliis militum morbis Chinii sulphurici usum respicimus, nullum equidem video, in quibus non prius China ipsa fuerit in usu. Salutarem certe in febribus post vulnerationes accidentibus traumaticis illis dictis Chinam se praestitisse, huius quidem rei in medicorum scriptis variis varia et multa depromi poterint exempla. Quid igitur mirum in talibus et ipsis post amputationes febribus oriundis commendatum esse nuper Chinium sulphuricum? ut dissertatione novissima proposuit clinici universitatis nostrae chirurgici de hac re facta pericula Oth 2).

---

1) Revue medicale septemb. 1827.
Memoires sur le sulfate de Chinine appliquée sur le vesicatoires dans les fièvres intermittentes par Mons. Martin fils D. M.

2) De febre intermittente traumatica Berolin. 1828.
v. Graefe Jahresbericht zwölfte Folge 1827. p. 4.

Ad usum externum in vulneribus gangraenosis ulceribusque vix multum exspectandum ex hoc remedio esse videtur, quum talibus in casibus adstringenti principio et extractivo, quod deest in Chinio, maxima vis adscribi debeat. Irritat quidem, ut omnes fere Alcaloides cutem Chinium sulphuricum, sed in plurimis casibus, ut externus per methodum cutaneam ostendit Chinii sulphurici usus; exigua exstitit haec irritatio, nec per longum temporis spatium duravit.

## §. 2. Usus calcariae chloratae et natri chlorati in medicina militari.

Ex tot nuper inventis remediis vix ullum salibus chloratibus praestantius reperio, quo maiora medicinae militari effluxerint emolumenta. Nam summa et mirabilis eorum vis antiseptica et hanc ob caussam in re militari medica usus haud exiguus elucet. Sed duplex omnino in usu explicando et effectu remedii nostri definiendo incunda ratio esse videtur. Agit enim remedii huius efficacia non solum in corpus animale vivum, sed periculosa quoque cohibet illata extrinsecus corpori humano contagia, putredinem exortam dissipat et delet. Huius quidem rei inventor exstitit clarissimus ille de civitate sua meritissimus, Labarraque 1), qui quum societas ad propagandam industriam civilem

---

1) Labarraque de l'emploi des chlorures d'oxide, de sodium et de Chaux. Paris, 1825.

quaestiones proponeret, de chloratium vi et efficacia experimentis factis inhaerens, ostendit, morbos et contagia et infectiones per hoc remedium posse averti et omnem putredinem eius auxilio deleri. Haec cum tanta remediii notri miasmatum destruendorum laudata sit efficacia, si primum uberius aliquid hac de re obsummum rei momentum protulerim, haud supervacaneum quid fecisse videor, ut inde eluceat insignis ille ex hoc remedio in medicina militari usus. Iam vero commemorandus hic Parisiis usitatus mos, cuius quidem uberiorem nobis proposuit descriptionem clarissimus noster Kopp 1).

Esse autem usitatum in aedificio quodam, ad mortuos incognitos fluminibus viisque publicis repertos proponendos, instituto, Morgue dicto, ad cohibendum corrigendumque mortuorum ingratum odorem letiferumque et cadaverosum calcariam chloratam. Aquae autem modiolis sedecim admisceri libram calcariae chloratae beneque inter se agitari, linteo hoc fluido tincto

---

1) Kopp ärztliche Bemerkungen auf einer Reise in Deutschland u. Frankreich Fr. a. M. 1825. 8. S. 198.
v. Graefes Journal. 8. Bd. 1825. 4. H. S. 131.
Henke Zeitschrift für die Staatsarzneikunde 6. Jahrgang 1826. 1. H. p. 239.
Cases illustrative of the beneficial effects of the Chlorurets of oxides of sodium and calch by J. J. F. Hassel. London 1827. 8.
An assay of the use of chlorurets of oxide of sodium and of lime By Thomas Alcock. London, 1827.
Recherches sur l'emploi, du chlorúre de chaux etc. Thesé presente par J. G. Robin Paris 1827. 4.

totius obtecti corporis cadaverosum odorem statim meliorem fieri, adeo desinere, cubicula quoque aëre pessimo affecta vicina, aquae calcariae chloratae sparsa partibus quibusdam, mox purgari aëremque fieri liberum. Ne tamen rursus esurgat putredo, linteum iterum iterumque denuo iufundendum, remotoque corpore quantitate aquae sufficiente levandum esse atque exsiccandum. Ita theatro Parisiorm anatomico per longum temporis spatium usi hoc remedio sunt, corporaque per diem bis affusa vix putredinis manifestasse signa, nobis relatum est.

En igitur ex hoc remedio tam ad sanitatem publicam et civilem, quam ad militum tuendam, summus usus sperandus esse videtur. Nam notissimum est, post febres praesertim contagiosas putridasque et alios taliusmodi morbos, tam letiferum haud raro fieri ac pestiferum repente mortuorum putrorem celerrimum, ut latius spargantur prius contagia, quam sepeliri licuerit mortuos, qua gratia usus chloratium optimus eademque ratione applicari poterit in nosocomiis militaribus, qua in Francogallia usum fuisse Labarraquium monuimus. Calcariam chloratam iam in bello hispanico anno 1812 in typho bellico, in gallico exercitu saeviente, commendavit, summoque cum effectu usus medicus Estienne est, prius tamen eodem in morbo laudavit Massuges é). Sed latuit haec hactenus remedii nostri

1) Alcock. l. c. p. 55.

2) Sur les typhus des hospiteaux et des armées. Strasbourg 1810. p. 101.

laus, nec iterum usi sunt, ut equidem scio, hoc remedio medici militares, donec Borier remedium praestantissimum cantagiorum miasmatumque praeservativum celebraverit 1). Atque is calcariae chloratae uncias quatuor in aquae duabus, acidi sulphurici unciis duabus mixtis, solvendas esse proposuit, quo factum, ut vespera et mane omnibus corporis partibus lavatis, immunes multi contagiorum exstiterint. Hic quidem effectus, si ex similibus licet coniicere, iis, quae Mandtius nuper expertus est, affirmari videtur.

In typho autem venoso animalium putrido et carbunculari calcaria chlorata summo usus cum effectu est, nec vix negari posse videtur, prophylacticam quandam remedii nostri inventam esse efficaciam 2). Nam porrexit pecoribus iam adultis solutionem calcariae muriaticae orygenatae (unc. jii. in aq. communis libr. jii. solutas, tribus vasis vitreis bene clausis immittendas) mane vesperaque cochlearia maiora duo, iunioribus vitulinisque vespera cochlear unum suppeditans. Ita per octo fere dies mucilaginoso potu commixta, posteaquam dederat, mirum typho potentia tales greges non esse affectas.

Ac apparet quidem recentissimis Labarraquii haud dubie experimentis; quanta sit vis calcariae chloratae in purgando nosocomiorum aëre, quanta ad delenda contagia miasmataque exstiterit. Concilium enim La-

1) Hänle Magazin Bd. 3. p. 110.
2) Mandt Darstellung der wichtigsten Epidemien u. Epizootien S. 602 — 611.

zarethi massiliensis novissimo anni 1825 decreto iussit 1), ut calcaria chlorata in quolibet morbo et ad purganda cubicula et apparatus omnes uterentur ob summam remedii praestantiam. Editum mandato publico est, ut aqua calcariae chloratae peste laborantes perniciosa aspergerentur, ut perpetua chlorii sustentaretur evaporatio, medici iussi sunt, priusquam adirent aegrotos, lavare se solutione chloratae calcariae, haec etiam habita cura est, ut vasa secum ferrent aqua chlorata impleta naribusque saepiis adducerent, praescriptum etiam est, ut aegroti vulneribus gangraenosis, bubonibus et carbunculis laborantes lavarentur aqua chlorata, tandem mandatum est, ut aqua drachmam unam natri chlorati continens, pro potu porrigeretur aegris, nec unquam negligeretur, apparatus vasaque omnia aqua chlorata purgarentur lavarenturque. Haec igitur praecepta in peste militari sequi poterint medici, aut ex salibus chloratis fumigationibus ab aliis commendatis insuper uti.

Duas autem in fumigandis nosocomiis aegrotorumque cubiculis contagiis affectis, medicos sectatos methodos esse videmus. Alii partibus quibusdam calcariae chloratae cum Kali sulphurico hyperoxygenato et aliqua parte aquae mixtae usi sunt, subinde evoluto chlorio purissimo; alii partem calcariae oxymuriaticae unam cum acidi sulphurici parte dimidia, partibus quinque aquae diluti, commiscuere, sensim sensimque

---

1) Alcock. l. c. p. 59 — 61.

calcariae chloratae adstillantes, cuius quidem methodi inventor evasit Stahl, descriptor Wetzler 1).

Ad cubicula fumiganda magnitudinis mediae cochlear unum, usque ad duo, maius calcariae chloratae sufficit, vasi fictili immittitur tantumque aqua tepida admiscetur, ut pusoriatur subinde stylo agitandus, fenestrae et portae claudendae per aliquot tempus; quam quidem methodum aliis ob simplicitatem et efficaciam tamen fere eandem, praeferrem.

Accedit ad summam remedii nostri efficaciam, quod calcaria chlorata facillime poterit parari, ipsisque praeferenda videatur fumigationibus ex chlorio ipso factis, quod et minores molestias secum ferat, quum chlorium afficere magnopere organa respirationis notissimum sit; nec tanti sit pretii impensique illius usus. Non tamen eadem ratione afficere talem fumigationem, qua chlorum ipsum, hoc quidem exinde coniici licet, quód acidum carboricum aëre contentnm aut ipsis contagiis formatum, chlorium decomponat, id quum tantum lentius fieri possit, non tanta et subita chlorii efficacia in corpus humanum est, quamvis optime dissipat contagia, est igitur vera fumigatio chlorica, tamen non eadem statim vi, sed maiore continuata tenore. Praeferre autem haud merito exinde

---

1) Dingler polytechnisches Journal. Bd. XVI. S. 372. Wetzler über den Nutzen u. Gebrauch der nach der Vorschrift des Herrn Apotheker von Stahl entwickelten oxyd. salzsäuren Gases zur Reinigung der Luft in Krankenhäusern. Augsburg. 1825. 8.

videtur Alcock 1), ut ipsa eius verba afferam, another great advantage, which they posses over the guitonians fumigations, is that the most polished metals, such as copper iron and steel are not in ang degree attaked by them, nam memorandum in hoc loco est cultros, calcaria chlorata Berolinensi in theatro ad conservanda cadavera usitata, affectos esse magnopere, ut inutiles fere sint facti 2), ex quo quidem coniici licet, non sine ulla efficacia tales etiam fumigationes in metalla fore.

Ea quamvis Chloratium, ut Chlorii ipsius, haud negari posse videatur efficacia, vix tamen in tanto talius remedii usu damna illa exigua respicienda sunt. Etenim optimus remedii nostri effectus experimentis novissime institutis probatur, laudaturque nuperrime in purgandis halitibus putridis post profluvia ortis, nec domiciliis ipsis parcentibus; quae praecepta denuo publicata sunt. 3) Calcariae chloratae libra in una aquae solvendam constituunt unciam unam, solum parietesque domum profluviis affectarum pluries linteis tingenda calcariae chloratae ingestis, et usum salutarem fuisse experientia docuit.

Exinde sequitur, in medicina militari fore salutarem remedii nostri efficaciam non solum in nosocomiis

---

1) Alcock. l. c.
2) Mandt. l. c.
3) Landwirthschafl. Zeitung für Kurhessen 1825 März. Aus d. Amtsblatte der Königl. Preuss. Regierung zu Münden, d. 6ten März 1826.
Billroth in Rust Magazin Bd. 19. H. 2. p. 326.

purgandis, sed etiam ad castra tentoriaque, ad appa ratus, ad latrina variaque mundificanda, esse quoque remedium optimum in illo repertum, ad aquas putridas celeriter purgandas in usumque iterum aptius reddendas. Aquae enim putridae modiolos centum et quadraginta per calcariae chloratae unciam unam purgatos esse traditur. Calcaria forsan si praedominatur per aliquot tempus aëri exponenda aqua est et colanda, quo facto, mox potui iterum inservire potest 1), quod quidem ad morborum prophylaxin rei militari, praesertim navali, summo usui esse potest.

Ac si observatum est, summam calcariae chloratae ad vapores subterraneos ascendentes dissipandos exstitisse efficaciam, usum certe salutarem haud raro fore in fossis absconditis fodiendis, in munimentis vallisque perficiendis in re militari vix negandum est, utque Labbarraqque asphycticis vitam reddidisse traditur hoc remedio, sic nostri quoque docti usu sunt et experientia, ut cohibendi haud raro sint morbi per vapores subito oriundos effecti 2), sic typhum nauticum, sic febrem flavam ipsam suppressam esse legimus secundum novissima Anglorum observata. (Alcok. l. c. p. 56 — 58) 3).

Sed comparanda est diversa calcariae chloratae

---

1) Alcock. l. c. p. 30.

2) Chlorkalk ein sicheres Mittel gegen die schlagenden Wetter in Bergwerken u, gegen den Gestank im Kielraume der Schiffe.
Dingler. polytechn. Journal. Bd. 23. H. 6. S. 335.

3) v. Froriep's Notizen XX. S. 192.

natrique oxymuriatici vis et potestas. Nec possum, quin celeriorem calcariae chloratae efficaciam esse omnino concedam, non tamen aeque continuam, natrum autem chloratum putredinem praeservare in tempus diurnum, si contenderim, hoc quidem cum vel maxime ex chemica remedii utriusque ratione apparet.

Ut enim omnis putredinis conditio posita est in humiditate, sic quidem calcaria chlorata in statum hydrochloratum transit, existit autem propria illa efficacia, ut aëris humiditas absorbeatur et ita fixa sit in corpus putrefactum vis omnis remedii et natura, cum vero mox humiditatem rursus attrahat, putredinem denuo quoque exorturam esse consequitur; at alia omnino natri chlorati efficacia et liversa, quam quidem bene descripsit Aloock.

„The chloruret of sodium in passing in the state of hydrochlorate, gives place to the formation of a very dry salt, which acts as a preservative by coagulating the principle which commence putrefaction. Thus the chloruret of oxide of sodium will suit whenener we wish to disinfect a body, and prevent the renewal of putrefaction.“ Sed memoratu digna videntur, quae nuper experti Galli sunt, ad summam vim antisepticam subtilius explicandam.

Ostendit autem Gaultier de Glaubry (Annales de Physique et de Chimie Nov. 1826 pag. 271 etc.) aërem per sanguinem putridum meantem, tunc quidem per calcariae chloratae solutionem fusum, plane odore omni esse privatum purgatumque pracipitasse calcariam carbonicam. Verum simili prorsus ratione aër putridus per solutionem Kali caustici saturatam

ductus, neque calcaria chlorata afficiebatur, neque odore vix tolerabili liberatus est. Quo quidem manifestum sit, esse quandam acidi carbonici aëris putridi efficaciam, qua chlorium eliciatur et manifestet vim antisepticam, neque dubium, quin in delendis miasmatibus acidum aëris carbonicum calcariam chloratam decomponat, chloriumque liberet. Ac hac quidem ratione ob summam inter calcariam et acidum carbonicum affinitatem, quid sit caussae, cur celerius destruat contagia, quam natrum chloratum, facillimum est explicata.

Iam ad usum illum Chloratium alterum in medicina militari salutarem ipsum aggredior. Ac mea quidem sententia praeferendum generatim omnium chloratium praestantissimum, natrum chloratum et ad internum usum et ad externum; tamen cum difficilus sit paratu, quum sit maioris pretii ob summam difficultatem natrum muriaticum separandi, quod fere solum alcohole fieri possit, palmam praeripere calcariam chloratam ad usum militarem medicum patet.

Denique vis est communis utriusque et propria, ut quam putridissima effluvia diffundant, miranda in in aërem circumdantem porrecta potentia. Hac potestate putredinis progressus destruunt, hac partium vitam conservant, tandem in viva adhuc parte irritationem producunt et vim vitalem excitant, iam imminutam vegetationem adaugent, adauctam coërcent.

Quamquam de remedii huius novi efficacia multa hactenus non satis probata sunt, tamen quae viri doctissimi experientia et doctrina sunt docti, iam satis

sufficiunt ad stabiliendum talius remedii in medicina militari usum.

Internum equidem statuerem in pluribus morbis fluidorum perversitate quadam et putredine coniunctis, saepius morbis solidorum accedentibus, ut solutionibus tenuioribus (Drachma una ad uncias sex aquae) calcariam chloratam in febribus nervosis putridisque et in febri petechiali salutarem praestitisse observatum est effectum, ut in ipsa peste remedii nostri, praesertim autem natri chlorati usus interni haud infaustos fuisse successus Anglorum plura exempla restant.

Talis ut haud exigui in medicina militari sit momenti remedii nostri indoles, maius quiddam profecto ab externo sperandum usu esse videtur. Ut praeteream, quosnam effectus benignos in herpete tulisse remedium nostrum laudarint permulti 1), cum talis occurrat rarius in militibus morbus, ipsos illos, quibus commendatus est, morbos militibus frequentiores, persecuturo, primo quidem vocanda est summa illa in morbis scorbuticis calcariae chloratae vis et potestas.

Ac fuit quidem Angelot 2), qui saepius usus illo remedio sit in ulcerationibus, quae quidem epidemicae interdum, milites invadere praesertim solent, propria quadam praeditae indole, sed tamen scorbuto similes.

---

1) v. Kopp. Beobachtungen im Gebiete der ausübenden Heilkunde Frk. a. M. (S. 240 — 242). 1821.
Med. chirurg Zeitung 1821. St. III. p. 400.

2) Observations für l'emploi du Chlorure de Chaux dans le tractement des ulcerations de la bouche.
Revue medicale Avril 1827. p. 49. 57.

Gingivitatem, ut vocat, illam ulcerosam, victu animali nimio effectam, calcariae chloratae usu externo sanatam esse felicissime exhibuit. Ulcera electuario hocce (ex calcar chlorat. gran. quindecim. usque ad drachm. semis. Mucilaginis gummi arab. uncia una et syrupi cuiusdam uncia semis) quotidie penicillo tincta, mutata mox et versa in valetudinem esse observavit. Alii in morbo ad scorbutum proximo commendarunt salivationemque mercurialem sublatam hoc ipso esse affirmarunt remedio.

Nec minorem in scabie animadvertit nuper efficaciam Physicus ille celeberrimus hallensis Herzberg, ita ut solutione calcariae chloratae aliquanto fortiori sine ullo damno sanatam esse scabiem viderit.

Commeratu autem haud indignum est, quo medicinae militari haud minor effluit usus, quod Labaracque nuper de calcariae chloratae usu secundo protulit in medium, qualem in ulceribus gangraenosis putridisque exstitisse vidit. Quod et ipsum firmavit experimentis novissimis Eckl professor ille Landeshuthtensis celeberrimus, vim tamen natri et calcariae chloratae eandem fere fuisse commemorat, praefert igitur omnino ob pretium exiguum calcariam chloratam 1). Solutam adhibuit calcariam chloratam, ita ut grana quindecim in aquae uncia una solvereuntur, postea minori usus calcariae copia est. Talem in ulceribus laxis maleque olentibus efficacissimam animadvertit. Est autem haud ultimo loco vocandus Kopp, qui post La-

---

1) Allg. med. Annalen. 1826. Jan. p. 107.

barraqquium in Germania primus usus hoc remedio, calcarium chloratam, aut admotam penicilli auxilio aut infusam, aut linteo, quod optimum est, tincto applicatam, optime semper respondisse voto, expertus est.

Atqui in gangraena nosocomiali vulneribusque gangraenosis optimum remedium haud dubie exstitit militibus nostrum, quo vix ullum ad efficaciam pretiumque sit aeque parandum. Itaque tales per gangraenam nosocomialem cum haud raro occurrant destructiones, vulneratorum magna copia congregata atque stipata, infaustissimis insuper accedentibus temporibus, cum tanta medicis militaribus in bello evaserit curationis difficultas, quod tali grassante contagio simplicissima quaeque vulnera summa rapiditate afficiantur peste, ut affectarum destruatur partium vita, ut aërem odoribus putridis noxiisque impleant, ut saepius in mortem vergant, quam in aegrorum infortunatorum salutem, nisi mox removeantur ex atmosphaera contaminata, quam morbum generare saepius constat, divinum mehercule, quod detexit Labarraqque, evasit remedium. Nam hoc putredinem coercet, hoc emanationes pestiferas destruit, progressus delentes exstruit et corrodentes, hoc mortua iam separat, hoc tandem aegri conditionem omnem immutat, diram cladem et exitiosam in sanitatem vergens atque vitam. Ac ne exempla afferam efficaciae huius paene innumera, ne quae Cloquet, quae Marjolin, quae Segulas (Journal de physiol. experimentale Juli 1823) experti nuper sunt, repetam, unum omnium adhuc in nosocomio Caritatis Berolinensis exemplum elucet, quo mirandus calcariae chlo-

chloratae in gangraena nosocomiali firmatus sit effectus 1).

Praeterea si tristissimum malum ingruerit gangraena nosocomialis cum ulceribus venereis coniuncta, vix unquam hactenus debellandum remedio ullo, nostrum quoque remedium efficacissimum evasit tali complicatione militibus oborta, ut Grosse medicus exercitus gallici primarius observavit 2). Venisse refert in nosocomium (Hospital de picpus) militem, affectum ulceribus praeputii inguinisque dextri bubone. Iam omnibus remediis incassum datis, ulceratione gangraenosa nosocomiali accedente, ad totum fere abdomen porrecta, ad scrotum et crura propagata, ulceris marginibus tumentibus, passim reflexis, suppuratione abundatissima et foetidissima, sanguine mixta, natrum chloratum expertus est Grosse, ita ut unciae duae in unciis aquae quatuor solutae linteis carptis applicarentur. Ac talis fuit effectus, ut die iam postero odor evanuerit, suppuratio exorta magis exigua sit, diebus insequentibus autem ulcus benignius, margines planiores, cicatrices a circuitu ad centrum formatas, adspici licuit. Sed nono tam intensa erupit inflammatio die, ut remedii usu abstinuerit. Die decimo et octavo iteratus denuo usus est, ut parva modo exulcerata remanserit pars, ita ut brevi sanatus aegrotus miserrimus tempore

---

1) Hüneke de chlori usu medico dissertatio. Berolini, 1826. p. 20.

2) Recueil des memoires de medecine, de chirurgie et de pharmacie militaires 14. volum.
Alcock. l. c. p. 85. etc.

sit. Postea plura, quae doctus usu est Cullerier publicavit de usu isto remedii nostri salutari (Archives generales de medecin T. 1. p. 448—471).

Alteram remedium nostrum haud spernendam promittit medicinae militaris, quam laudarunt nuper Angli utilitatem. Nam quae in fracturis complicatis haud raro curationis exstiterit difficultas, puris exorta accumulatione, tritis inter se vice mutua ossium fragmentis, ut foetor haud exiguus oriatur, ut omnis adeo atmosphaera afficiatur, febre aegrotis periculosissima fere semper accedente, hoc quidem optime eorum observationibus constat 1). Ac recte taliusmodi in morbis putroris illius efformati naturam mutandam esse edixisse Alcock videtur, quod quidem optime fieri posse per natrum aut calcariam chloratam antiseptica summa remedia gloriatur. Tamen haud negligenda, quae in vulnerum tractatatione generatim observanda sint, solutiones illas calcariae chloratae applicatas haud aptas esse inflammatione adhuc vigente; ea tamen sublata, aegrotorum multorum artus servasse se remedio illo, affirmat Alcock.

Iam vero Lisfrancii attingendae observationes sunt haud sine insigni certe in medicina militari exortae momento 2). Commendat autem solutionem aquae oxymuriaticae ad sananda ulcera simplicia et combustiones. Itaque talia qui scit, quam saepe curanda in medicina militari sint ulcera, cum saepius post itinera

1) Alcock. l. c. p. 102.
2) Revue medicale 1826.
Froriep. Notizen Bd. XVI. No. 1. 107.

laboresque nimios pertinaciora existant militibus, salutare certe remedium calcariam chloratam inventam esse concedet.

Immo duodecim per dies, quum multi et fere omnes sanasse tradiderit Lisfranc, qui per decem iam menses ulceribus laborarent, in simplicibus certe et recentibus adhuc maior quidam divinari remedii nostri poterit eventus. Sin vero nullis irritantium remediorum in partibus inflammatis locus sit, sic talia quoque ulcera inflammata omnino vetant calcariae chloratae usum atque cohibent. Verum mitigata inflammatione, apparentibus granulationibus vasculosis cellulosisque, sexto die perfectam esse cicatrisationem docuerunt Gallorum medici plures.

Miranda est celeritas et efficacia calcariae oxymuriaticae in combustionibus gradus primi et secundi. Nam per horas quadraginta et octo perfecte sanatos esse aegrotos quosdam constat; ac si quid recte video, medicinae forsan militari optimum evasisse remedium ad curationem celeriorem felicioremque combustionum per pulverem explodentem effectarum perficiendam, existimo. Etenim summa quoque calcariae chloratae, in decomponendas pulveris explodentis partes, vis et effectus negari nequit. Eo praestantiorem remedii nostri vim laudatam reperimus ob aliam quoque efficaciam et propriam. Quippe cicatrices duriores omnino fiunt per usum chloratium, accipiunt mobilitatem cute ipsa eandem. Nam singulari illa irritatione tota ulceris superficies cicatricum secernit materiem, ac ut cum Huntero dicam, haec lympha coagulabilis a circuitu ad centrum formata membrano formatur crassiore et

firmiore. Talis autem lymphae conditio cum per remedium usitatum tanta celeritate et tanta irritatione produci soleat, vix ulceris margines ad centrum propiora accedere posse patet. Dimensiones igitur easdem cicatricis et superficiei totius necessarium est, quas ulcus, priusquam plastica formata materies sit, habuerit; id quod exinde sequitur, ut superficiei totius puncta per membranam effectam suscipiantur.

In morbo laudare restat et commendare remedium hocce, atrocissimo multorumque in exitium orto 1). Ac celebravit quidem nuper Varlex Bruxellensis ille medicus militaris celeberrimus in ophthalmia purulenta usum calcariae chloratae, vix unquam fefellisse se illam gloriatus. Palpebris autem oculorum rubris tumentibusque et coarctis, coniunctiva oculi bulbique elata et languefacta, pure crasso insuper per genas superfuso, calida cute, pulsibusque plenioribus atque durioribus, posteaquam iteratim venam secuerat, uti solebat solutione aliquanto calcariae chloratae fortiore, ad conjunctivam aut penicillo applicata, aut stillatim infusa. Ceterum solvendam praecepit drachmam calcariae chloratae dimidiam, in uncia aquae una solutam. Itaque iterata semper venae sectione, si opus fuerit, antiphlogistica cura nunquam neglecta, quum horas per viginti et quatuor instillasset solutionis huius guttulas quasdam, aegrotis ad unum omnibus exceptis salutem praestitit, ut unus post duodecim iam dies, nosocomium

---

1) London med. and phys. Journal Novbr. 1827. p. 386. Froriep Motizen. Jan. 1828. No. 411. 235 — 239.

reliquerit. Iam sextam post horam remedii applicati, suppuratio multo minor exstitit, effluere coepit tenacius pus et crassius; ac si forsan, quod raro accidit, exorti dolores sunt, mox profligati aquam per frigidam sunt.

Guthrie quoque Anglorum meritissimus ille medicus eandem remedii nostri in nosocomio suo usitati (in royal westminster Infirmary for disease of the eye) efficaciam animadvertit, antiphlogistica tamen nunquam methodo neglecta, quorum exempla plura in loco nostro luculentius exposita reperiuntur, quorum enumerationem, quo minus uberius explicemus, angustia scripti huius cohibet.

Sed pauca adhuc adiici debent de diversa et varia praeparatorum efficacia. Ac generatim quidem proponere licet, aptius esse praeparatum fortius et utilius, ubi vitalitas imminuta adsit et torpor quidam insignis, mitius autem aucta et nimia functionum vitalium actione. Omnium autem fortissima evasit solutio et natri et calcariae chloratae, quum drachma una in unciis aquae quatuor soluta maximum iam praestiterit eventum, haec igitur praeferenda est semper, si maius quiddam et efficacius agendum est, si maior superficies loci affecti exstiterit.

Excitat etiam summopere et irritat puls oriunda, si aqua communis cum pulvere calcariae aut natri oxymuriatici miscetur, usque ad spissitudinem crassam; mitissimus certe effectus unguenti ex calcariae chloratae parte dimidia et axungiae porci parte una, quod praeferendum forsan in vulneribus siccis esse videtur.

Itaque summum remedium remanet, chloratium solutio in medicina militari.

## §. 3. De acidi pyrolignosi in medicina militari usu.

Remediis certissime adnumerandum ob pretium exiguum et efficaciam insignem externam, dignissimum, quod recipiatur in medicina militari, est acidum pyrolignosum, et ipse usus internus respiciendus praecipue esse videtur. Optime ac sine ulla difficultate pretioque nimio obtineri potest ex fragmentis lignorum bene siccatorum. Quae quidem retortae ferreae immittuntur cum tubulo instructae ex lamina aeque ferrea, quae acidum in lagenam vitream transducit, alio perforatam. Ita gasa transferuntur ex hac in alteram, ut incurvato tubulo cum ea iuncto per labrum Woulfianum transducantur. Destillatio tamen fieri debet igne nullo repagulo coërcito. Una libra ligni betulae albae aceti pyrooleosi uncias octo dat.

Remedium autem nostrum, cum summam habeat vim antisepticam, commendandum profecto est in medicina militari in gangraena, ulceribus scorbuticis et carie, in quibus etiam morbis salutarem eius effectum evasisse, quae nuper observarunt medici, exempla probant.

Ulcera enim phagedaenica crurum, quibus ope penicilli applicabatur, cito sanata esse dicuntur 1). Angli

1) Rust Magazin 13. 1.

praesertim medici cataplasmata tepida commendarunt usumque laudant, fomentationes quoque utilissimas esse Rust expertus est in pernionibus gangraenosis 1).

Praeterea Berolini facta pericula optime spei summae laudique huic remedio ab omnibus fere concessae respondebant 2), nec omittenda, quae novissime animadvertit Stolze de antiseptica acidi huius vi praeclara, quae latius exposita in annalibus Schweiggeri chemicis sunt 3).

Multi quoque fuere. qui in gangraena praesertim extremitatum inferiorum, admirati acidi pyrolignosi usum sint 4), odorem foetidissimum brevi tempore evanuisse videntes, in carie ossium odorem mox meliorem ortum esse vidi, nec tanta irritatio exstitit, quantam in chloratium usu fuisse nonnulli observarunt. Ac fuere quoque, qui in chronica palpebrarum inflammatione usi acido pyrolignoso sint, unciam dimidiam ad aquae uncias sex pro collyrio porrigentes.

Ad usum internum in medicina militari commendaturus praesertim iure meritoque videor, ob tantam vim diaphoreticam, diureticam et antispasmodicam, ut ob pretium tam exiguum aliorum carissimorum re-

---

1) Rust Magazin. 17. p. 187.
2) Hufeland Journal 1823. Febr. 61.
3) Schweigger Jahrbuch für Chemie. Bd. 19. H. 1. p. 55. Berres über die Holzsäure u. ihren Werth etc. Wien 1823.
4) Rust Magazin 7. p. 323.
Rübner de acido pyrolignoso dissertatio. Berolini. 1824.

cipere possit locum remediorum. Sed praeparandum tunc acidum nostrum esse existimo, ut nuper in pharmacopoea sua praescripsit van Mons 1). Educitur enim acidum purius ex pyroacetate sodae acido sulphurico, quod alcoholis aliquid ex quibusdam ligni speciebus, ut ex betula arripit, ita ut aetherem pyroaceticum secum vehat. Ac tum quidem, sperandum, remedii nostri vim, quam fieri possit proxime, ad liquorem cornu cervi succinatum efficacissimum accessuram 2).

Iam vero noxium esse iu quavis inflammatione usum internum animadversum est, usum tamen salutarem fuisse, post inflammationes pulmonum per venae sectiones nimias hydrope celerrime insequente, monendum est 3). Profecto pluribns opus experimentis est, ut internus talius remedii firmetur usus atque statuatur 4).

## §. 4. De curatione per inediam et unguentum hydrargyri in medicina militari insigni.

Etsi unguenti hydrargyri usus non sit res nova, sed iam vulgatus in omnium ore, dubito tamen, an

---

1) Pharmac. univers. T. 1. p. 64.
2) Froriep. Notizen 1824, ubi acidum pyrolignosum, destillatione autem sola ex lignis paratum, liquoris succinati loco tentatum esse legimus.
3) Rust Magazin. Bd. 16. p. 353.
4) Schubarth in Horn Archiv. Jan. Febr. 1824. S. 53.

saepius hac in medicina militari usi medici inunctione sint. Ac vix satis laudari potest haec unguenti mercurialis methodus applicandi tam idonea et ap'a, si metuendum, ne mercurius organa gastrica iusto nimis afficiat interne sumptus, si vix ullum remedium per os aegroti porrigi possit et tamen tota reproductio sit immutanda crisesque naturae salutares exspectari debeant, quod vel praesertim fieri solet ciborum abstinentia parcimoniaque cum unguenti usu coniunctis. Sed diversa profecto unguenti vis est, si aut maiori aut minori illinitur copia. Ac si parvam istam, ut vocarunt, unguenti inunctionem, salutem praestitisse multis in morbis contenderint medici haud exiguam, commendanda in tetano et trismo, in chronicis partium externarum inflammationibus, in exsudatione et induratione cellulosa in medicina militari esse videtur. Monendum etiam est in peste contagiosa praeservativum quoque et in ipsa febre flava perniciosa, unguenti hydrargyri, ad salivationem usque, usum salutarem esse laudatum.

Inunctio autem magna inedia coniunta et omnium fere ciborum abstinentia, qualem Louvrier et Rust instituisse nuper et proposuisse vidimus, maiores nimirum promittit fructus, ob maximam vix alio remedio comparandam in vitam omnem totumque organismum reactionem. Itaque cum sit notissimum, diuturnos et gravissimos milites aggredi saepius morbos, cum indurationes glandularum telaeque cellulosae, excrescentiae tandem cutaneae frequentiores in castris bellisque occurrant, vix dubitandum est, quin ob tantum remedii nostri in morbis hisce efficaciam optimum locum in

medicina militari sit nacturum unguentum hydrargyri illinitum. Ita tumores articulorum vix remedio ullo tam celeriter sanari, expertus nuper est Rust 1). Praeterea, cum in morbis arthriticis atque scrophulosis, qua universali quadam clade vix pauci nostris bellis evaserunt immunes, si coniuncti sint cum summa cutis et glandularum et ossium degeneratione, optimos effectus praestitisse appareat, cum chronicas etiam, causis externis immo ortas telae cellulosae indurationes et fistulas, per annos scalpello ipsi resistentes pertinacia summa, sanatas esse celerrime constet, ut ipsam Elephantiasin, ut in Aegyto milites invasit, profligaverit remedium nostrum, remanet sua laus et firmatur in militari inunctonis usus.

Iam vero haud praetereundem est, esse tamen in multis hominibus hydrargyri inunctionem contraindicatam. Vix unquam enim salutaris in recenti syphili, in cutis systematisque nervei summa irritatione, accedentibus insuper febri hectica et sanguineorum fluxuum dispositione, in syphili inveterata autem summum evasit remedium, ut nullum ei in medicina militari sit praeferendum 2).

## §. 5. De Inspersione aquae frigidae eiusque in medicina militari usu.

Maximi momenti aggredior praeclari remedii usum, ob summam efficaciam in medicinae militari aestiman-

1) Rust Magazin Bd. 7. p. 323.
2) Eichheimer l. c. 2. Bde. p. 257.

dam praesertim. Jam dudum aqua frigida in morbis acutis internis, ipsis exanthematicis non exceptis in laude fuit. Vetus mos increbuit, Africae nonnullos incolas infantes variolis arreptos aqua frigida inspersisse vehementiamque in eruptionis stadio fregisse, nuper in scarlatina summo cum usu applicarunt nonnulli aquam frigidam. Quam ob rem methodus Curriana, nuperrime a quibusdam omnino abiecta, nulla ratione plane reiicienda esse videtur, medico rite imbuto ad morbi indolem et naturam atque studium summa cura intuenti. In medicina autem militari commendanda praesertim est infusio aquae frigidae in typho bellico contagioco. Hunc initio morbi, summo calore, cute aridissima invadentibus, applicatam aquam aut temperasse, aut obruisse et exstinxisse totam febrem in Hildenbrandii allato libro haud semel legimus 2); fuere quoque aegroti, qui deliriis summis affecti, observatione curaque destituti, sponte in aquam frigidam immerserint, ut natura quasi ad hoc divinum acti viderentur remedium.

Nec minoribus laudibus sustulit hanc aquae frigidae inspersionem in libro suo celeberrimus Horn. Is enim aegrotos animo fere omni destitutos, susurru aurium atque tinnitu et delirio atrocissimo invadentibus, cute aridissima, oculis stupidis et coniunctiva inflammatis iacentes modiolis aquae frigidae pluribus super

---

1) Currie über die Wirkung des kalten und warmen Wassers übers. von Michaelis Leipzig, 1810.
2) L. c. S. 266. etc.

caput infusis servari vidit atque sanari. Ac mirabilis quidem et tanta superfusionum exstitit vis, ut aegros sopore liberatos facie laetiori liberioreque, lingua aridissima humida facta, calore mordaci mox imminuto in sanationem rediisse celerrime observaverit, remedium eo efficacius esse affirmans et eventum eo constantiorem, cum iteratae sint, quam saepissime fieri potuerit, inspersiones 1). Et in ipso illo encephalitidis stadio soporoso, post vulnera tam saepe observatae, aut animi moerore tristitiaque effectae, summam laudibus sustulere maximis aquae frigidae efficaciam de hoc morbo meritissimi scriptores, nec defuere, qui in delirio, post abusum spirituosorum tam saepe homines sanguineos nec non milites invadente, summam infusionum vim et efficaciam commendarunt. Qua gratia facile est visu, hoc remedium ob talem effectum facilitatemque applicationis, ob pretium exiguum in medicina militari praesertim esse idoneum, ut remediorum fere omnium insignioribus sit adnumerandum.

## §. 6. De commendanda aqua amygdalarum amararum, ex oleo aethereo parata, in medicina militari.

Aliam quandam remedii usitatissimi et novam praeparatiorum commendaturo, quae nuper quidem de

---

1) Horn l. c. p. 16. et 17.
Rust Magazin 14 Bd. 1 H. S. 169.

huius usu efficacia observata sunt, non tam firma exstiterunt argumenta et exempla, ut multa de eius vi et natura proferri in medium possint.

Acidum hydrocyanicum quot et quales porrigendi methodos medici inierint, tot, quae iterum iterumque inventa de illo praeparando praecepta sunt, luculentissime probant. Et tamen efficacissimorum, quae Scheele et Vauquelin et Ittner proposuere praeparatorum nullum hactenus evasit, quod nunquam medicorum exspectationem fefellisset, quum alii decompositionem exortam esse vituperent, alii dosin haud certo quodam modo porrigi posse contendant, ob summam remedii varietatem et efficaciam diversam.

Ac quamvis nostrum, quale in pharmacopoea novissima paratum praescribitur acidum hydrocyanicum, certius evaserit in eventu et constantius, tamen non omni laude dignum esse contenderunt nuper medicorum nonnulli, ut aliam recentissimo tempore commendaverit nuper summa sagacia ductus pharmaceuta noster insignis berolinensis Schrader huius ipsius praeparationem. Ac tutius profecto acidum hydrocyanicum ex oleo aethereo substituendnm esse iudicavit vir peritissimus, tutissimam autem esse aquam hac ratione paratam. Ac constantior omnino esse videtur aqua illa praeparata ex aqua cum acido hydrocyarico nupta ex oleo althereo, quod ex fructibus maturis, qui illud continent, elicitur, cum minus in illis copia variet et natura. Ita olei amygdalarum amararum aetherei drachma una cum spiritus vini uncia una et dimidia et unciis aquae destillatae sedecim mixta, aquam oriri di-

cit nostrae aquae pruni laurocerasi optime accedentem. —

Tamen si concesserim non eandem in amygdalis amaris olei aetherei semper esse naturam, sed in regionibus variis variam, hoc tamen non impedit, quominus utamur nostro remedio. Optimis enim licet ex regionibus, in quibus amygdalae amarae efficaciores crescunt, uti amygdalis, aut ex ipso pruno lauroceroso parari poterit oleum aethereum, cuius efficaciam constantiorem omnino esse nuper observatum est.

Nam quae in Italia nuper facta pericula sunt, oleum aetherum laurocerasorum constans semper et idem affirmant et vix unquam aetati ac decompositioni obnoxium, praeferendum igitur ob summam quoque efficaciam omnibus acidi hydrocyanici praeparatis, in nullo cum tam intima acidum hoc contentum coniunctione sit.

Olei laurocerasorm aetherei guttas duodecim ad unciam unam olei pinguinosi componunt et usi sunt scrupulo huius mixtionis uno, ut gutta dimidia sit aegrotis data. Narcotica autem vis exstitit summa, ita ut iisdem haec aqua, tali modo praeparata, dederit salutem morbis, qualem alia ratione paratum praestitit acidum hydrocianicum.

Itaque his argumentiset experimentis inducto, remedium tale in medicina militari proponendum haud iniuria videbatur. Tali autem quibum morbis remedio utantur medici militares, supervacaneum est, ut multa hac de re proferam, quum effectus et vis acidi hydrocyanici et aquae amygdalarum amararum eandem cum remedio nostro fere habeat efficaciam, de vi au-

tem huius praeparati propria et peculiari disserendi defuere hactenus exempla plura et observationes, quare quae arte et theoria ducti tradiderint de constantiore illo effectu et natura praeparati huius referre brevi placuit, ex quibus constare persuasus sum, quantus ut medicinae ipsi, sic etiam medicinae militari emanarit usus.

## §. 7. De hydrargyri muriatici corrosivi usu in medicina militari eximio.

Appendicis loco adiecturus sum non militibus quidem remedium summum et salutare, sed tamen in re militari medica aestimandum. Ac sunt quidem hydrargyri muriatici vires praeclarae et insignes, ut et usus internus in morbis secundus evaserit atque gratus, tamen haec missa volui, ne dissertationis huius transgrediar limites, tali praesertim remedio cum in morbis tempore praeterlapso usos tam saepe medicos animadvertissem. At vero, quae nuper Galli de usu huius remedii commendarunt insigni, commemoranda brevi videbantur, de hoc ipsa re cum multum tempore recentiore disputasse auctores multos viderem. Quantopere enim bellis peractis nuper gestis medici studuerint ad condiendos mortuos servandaque praesertim ducum cohortium exercituumque imperatorum corpora, qui in prodiis pro patria ceciderant, clarissimus ille Larrey exemplo insigni et eximio ostendit. Quare talem ad finem hydrargyrum corrosivum propposituro, sit

haec venia, haud ingratum raro cum tale remedium in medicina militari posse evadere, sit observatum.

Ac calcaria chlorata atque Natrum chloratum, quum naturam quidem habeant et vim praecipuam quandam putredinis coercendae, ad transportandos tamen in alias regiones et remotissimas mortuos difficilior eorum redditur usus, ut accommodatiore quodam opus sit remedio et tamen efficacissimo.

Igitur vir ille celeberrimus Larrey quum iuberetur, ut imperatoris fortissimi Morland, post tam multa insignia facta immortalesque res gestas in proelio cadentis conservando corpori daret operam, Ribes, incolume se corpus Parisios transportaturum esse, affirmavit omnibus *).

Visceribus autem totius corporis remotis, cerebro, terebratione in cranio posteriore instituta, exempto, mercurium sublimatum in omnes cavitates corporis totius iniecit, compressione cohibuit, ne contraherentur partes atque corrugarent, ut corporis forma omnis maneret eadem mortui, quam vivi adspici licuit. Ita totum involutum corpus, sublimato sparsum, Parisios est missum. Postea aperta arca corpus bene conservatum inventum est, et impositnm aëri optime se habuit, cura habita est, ut omnes implerentur cavitates, ut oculorum collapsorum loco imponentur arte facti. Ita, ut ipsius, qui nobis retulit haecce verba, afferam tali se habuit ratione.

Les chevaux, les sourcils et les moustaches etaient

---

1) Pelletan. Dictionaire de sc. med. T. 11.

reconnaisables, et le corps vernis avec soin, et révetu de ses habits, faisait une illusion douce et pénible pour ceux, qui avaient connu cet excellent militaire, maintenant encore que plusieurs, années se sont écoulées, le corps du colonel Morland, placé dans une armoire vitrée de la bibliothece de M. Larrey, n'offre aucun sìgne d'altération, n'exhale aucune odeur et reste perfaitement reconnaisable, quoique la peau soit brune et comme tannée, et que tout le tissu cellulaire semble avoir disparu, en sorte que les corps charnus prononcent leurs formes à travers les tégumens desséchés.

Tale igitur remedium nostrum exstitit, ut si ullum in medicina militari ad condiendos mortuos sit commendandum, hoc praesertim proposuisse iure videar.

---

Iam vero finis dissertationi nostrae faciendus est, ac si in tanta rei dignitate non attigisse, quae multi forsan exspectarint, libenter concesserim, iuventuti meae ignoscatur haec audacia oro petoque, cui si vis, voluntas tamen defuit nunquam.

---

# VITAE CURRICULUM
## EX DECRETO
## GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS
## ADIECTUM.

Equidem Adolphus Niemann confessioni addictus evangelico Halberstadii natus sum anno MDCCCVI patre carissimo tunc temporis physico halberstadiensi, nunc in collegio Merseburgensi a consiliis medicis, matre dilectissima e stirpe inclyta Gallica Peyre de Lamothe, quorum parentum patrem amantissimum salvum gratissimo animo laetor, matrem iam septimo aetatis meae anno fato tristissimo ereptam esse lugeo; et pater quidem meus, quanta in me beneficia contulerit etiam gratissimo animo consequi nequeo, is enim per totum meam aetatem dux mihi sapiens et studiorum meorum omnium rector exstitit. Primis autem doctrinae elementis religio-

nisque erudiendum me tradidit Sickelio optimo, pastori nunc oppidi Aken primario; cuius sacram adhuc memoriam animo infixam intimo habeo. Iam erepto praeceptore dignissimo, gymnasium Merseburgense rectore tunc Henneckio florentissimum frequentavi, ubi sex per annos morato per triennium adhuc felici mihi contigit, praeceptorem habere Wieckium dilectissimum, rectoris emeriti locum suscipientem. Sed aliorum quoque scholae nostrae virorum doctrina et institutione usus sum, et quanta et qualia in veterum linguarum scientia, in historia ac in omni humananiori studio praecepta mihi tradiderint, Landvoigt Professor, scriptis nuper editis celeberrimus, et quanta Haun subrector Steinmetz atque Doeringius aliique Lycei nostri praeceptores docuerint, summa, qua fieri potest, in sempiternum recordabor gratia.

Anno autem MDCCCXIV. examine scholastico rite superato, testimonio I instructus, almam academiam Berolinensem adii, in arte nostra celeberrimam florentissimamque.

Rectore Magnifico Carolo Asmundo Rudolphi, Decano Spectabili Illustr. Link, in numerum civium academiorum receptus, per integrum annum Illustrissimorum virorum interfui lectionibus.

Ac psychologiam quidem mihi tradidit et anthropologiam clarissimus Hegel, osteologiam, anatomiam, tam theoreticam, quam practicam, et doctrinam de sensuum organis et splanchnologiam me docuere et Cl. Rudolphi et Ill. Knape, quorum virorum quanta in me fuerit humunitas, vix unquam laudibus satis extollere nequeo, gratissimo animo tantae semper benevolentiae memor.

In botanice, historia medicinae et methodologia medica praeceptoribus usus sum, Celeberrimo Rudolphi, Ill. Link, et Cl. Hayne, in chemia praecl. Mitscherlich, physiologiam et anatomiam comparatam tradidit mihi Ill. Rudolphi.

Horum praeceptorum virorum Clarissimorum per annuum doctrina gavisus, in Georgiam Augustam me contuli, ubi Rectore Magnificio J. Martin Langenbeck, civitate donatus academica, per annum unum et dimidium praeceptoribus academicae ornatissimis edoctus sum.

Ac anatomiam quidem et neurologiam docuit me Cl. Langenbeck, et in cadaveribus secandis exercuit ille et ipse me et Ill. Hempel, fortunaque mihi accidit Ornat. Blumenbach de historia naturali et anatomia comparata frui praeceptis, cuius viri Celeberrimi laetissimis auspiciis post quinquaginta annos academicas eodem hactenas vigore habentis lectiones, celebrata a tota Europa laetissima mente recordor semisaecularia peracta.

Nec minori memor laetitia sum praeceptorum Ill. Stromeyer chemicorum, cuius et ipsius de pharmacia audivi lectiones. Pathologiam vero et generalem et specialem me docuit Cl. Conradi, chirurgiam specialem et generalem Ill. Langenbeck, ophthalmologiam Cl. Himly, materiam medicam Cl. Kraus, doctrinam de fasciis applicandis Cl. Pauli auscultationemque exercui in clinico Langenbeckii Celeb. chirurgico.

Tunc in academiam berolinensem ornatissimam redux iterum celeberrimorum academiae huius interfui lectionibus.

Ac aciurgiam quidem et theoreticam et practicam docuerunt me Cl. Kluge et Cl. Rust, artem obstetriciam Cl. Kluge,

clinicis vero scholis gavisus sum Cl. Hufelandii, Osann et Busse nec non Celeb. virorum Rust, de Graefe et ornat. Bartels doctrina imbutus sum clinica. His igitur viris Celeberrimis, si quid est in me doctrinae, hanc praesertim debere gratissima mente confiteor, summamque in aeternum recolere gratiam intimo laetor laetaborque animo.

Iam vero tentamine philosophico et medico et rigoroso peracto, dissertationeque rite conscripta, thesibusque publice defensis, spero fore, ut summi in me conferantur in medicina utraque honores.

## Theses defendendae.

1. Calcaria chlorata in fumigationibus melius utimur chloro ipso.
2. Chininium sulphuricum chinam extrudere nequit.
3. Tot nocua in medicina, quot utilia.
4. Inflammatio asthenica non exstat.
5. Remediorum novorum usus medicus necessarius est.